

§ 3. DE CENSURA LIBRORUM.

458. I. Praeviae censurae hodie jam non sunt subjiciendi libri quilibet, quemadmodum veteris Indicis regulis praecipiebatur, sed quaedam determinatae classes quae hac nova Const. recensentur. Deinde, cum petenda sit licentia *in lucem edendi, publicandi* (aa. 36, 40), censura non requiritur praecise ut imprimatur, sed ut publici juris fiat liber. Quare non putamus censurae subjicienda esse opera quae ad privatum paucorum usum, autographia vel etiam typis multiplicantur. Neque determinat praesens Constitutio utrum censori exhibenda sint manuscripta, deinde cum libro perfecto comparanda (ut jusserat Clemens VIII), an sola folia jam typis impressa. Quare, modo finis legis attingatur, et praeceptae correctiones fiant, integrum erit eligere eum modum qui aptior videatur. Saepe in praxi exhibentur tantum folia impressa antequam immutabiliter probata typographo tradantur. (Hollweck, p. 58) Hodie censurae subjiciuntur :

1° Versiones omnes ss. Bibliorum in lingua vernacula. (a. 7)

2° Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones. (a. 13)

3° Novae imagines quomodocumque impressae D. N. Jesu Christi, B. M. V., Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur. (a. 15) Igitur non egent approbatione imagines quae longo usu, saltem implicite, probatae, jam nequeunt dici *novae*; egent vero quaecumque, per varias artes hodie inventas, impressione multiplicantur. Manifestum est hic non agi de statu vel picturis : quibus satis providerat Trid. (Sess. 25. Decr. de... sacris imaginibus) dum statuit „ nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit. „ De his etiam conferri potest Const. Bened. XIV, *Sollicitudini*. (1 Oct. 1745)

4° Libri, summaria, libelli, folia etc. in quibus indulgentiarum concessionibus continentur. (a. 17) Fideles tamen probabiliter non vetantur indebite vulgatos libros, summaria etc. legere vel retinere : cum nulla hujusmodi prohibitio hic apponatur.

5° Litaniae omnes, praeter Litanias omnium Sanctorum, quae in Breviariis, Missalibus etc. continentur, Litanias B. M. V. quae in s. Aede Laetana decantari solent, et Litanias SS. Nominis Jesu, jam a S. Sede approbatas. (. 19) His accedunt Litaniae SS. Cordis Jesu, quas Leo XIII Decr. Urbis et Orbis 2 Apr. 1899 indulgentiis 300 dierum auxit atque tum publice tum privatim recitari et decantari permisit.

6° Libri aut libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae alique hujusmodi. (a. 20)

7° Libri „ qui divinas Scripturas, s. Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam Naturalem, Ethicam, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit. „ (a. 41) Exemplum disciplinarum quae hic non diserte enumerantur, habes in scientia sociali, si ejus argumenta sub respectu morali et religioso, non mere oeconomico vel politico tractantur, puta commentando Litteras Apostolicas de conditione opificum.

Scripta in quibus specialiter intersit religionis et morum, intellegimus ea in quibus nequeunt vulgari errores sine speciali fidei morumve periculo, quales sunt vitae servorum Dei in quibus multa ut supernaturalia narrantur. Cum hic nulla fiat expressa mentio diariorum vel libellorum periodicorum, censemus mentem legislatoris esse ut haec valde generalis locutio : *scripta quaecumque* etc. explicetur pro usu recepto. Jamvero in plerisque regionibus putamus hunc usum vigere ut in foliis et periodicis quae non unice argumentum plane religiosum tractant, edantur, sine praevia censura, etiam articuli qui, ex argumenti natura, revisioni subjacerent ; dum censurae subjiciuntur libelli periodici qui toti in argumento prorsus religioso versantur, qualis est theologia dogmatica vel moralis, jus canonicum, ascetica. Alii (Hollweck, p. 45) censent nulla periodica subjacere censurae, quia non nominantur et personae redactoris fident Ecclesia.

Regulam generalem dat a. 44 : „ Noverint typographi et editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere ; hanc insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma versionem non suffragari, „

459. II. Regulariter approbatio librorum „ pertinet ad Ordinarium loci in quo *publici juris fiunt*. „ (a. 36) Igitur, si in diversis dioecesibus commorantur editor et typographus, jam requiritur approbatio episcopi loci in quo commoratur editor, dum antiquae regulae posebant approbationem episcopi loci in quo liber typis mandandus erat. Pariter penes Ordinarium est concedere facultatem iterum edendi Missale, Breviarium, etc. ut patet e tenore a. 18, nullam S. Sedis approbationem postulantis, et facultatem edendi, ad omnium fidelium usum, libros devotionis in quibus detur versio Ordinis Missae atque ipsius Canonis, ut respondit S. C. R. 4 Aug. 1877. (Coll. P. F. n. 1890) Sed quaedam publicandi licentiae altiori auctoritati reservantur. Nempe :

1° „ Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc. in quibus earum concessionibus continentur, non publicentur absque competentis

auctoritatis licentia. „ (a. 17) Jamvero, juxta resp. S. C. Indicis 7 Aug. 1897, *competens auctoritas* hic non est intellegenda (ut quibusdam interpretibus visum erat) solus Ordinarius, sed ea auctoritas cui hujusmodi publicationes ante hanc Constit. etiam subjiciendae erant. Hoc autem est Ordinarius, si agitur de edenda concessione alicujus indulgentiae vel summarii indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est, aut de summario ex auctoritate S. C. Indulg. jam vulgato, dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio; si vero sermo sit de summario vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum e diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa S. C. Indulg. licentia. (S. C. Indulg. 22 Jan. 1858; Decr. auth. n. 383)

2^o Ad edenda quae ad causas Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei utcumque pertinent, requiritur beneplacitum S. C. Rit. (a. 32)

3^o Ad edendas collectiones Decretorum singularum Congregationum Romanarum (ex. gr. Collectaneam S. C. Ep. et Reg.) necessaria est licentia Moderatorum uniuscujusque Congregationis. (a. 33)

Obtenta legitima approbatione, publicandi licentia, quam Ordinarius in scriptis et omnino gratis concedere debet, in principio vel in fine operis imprimenda est (a. 40). Huic regulae, nostra sententia, satisfiit etiamsi ipsa verba scriptae licentiae non imprimantur, modo clare exprimatur ejus Superioris approbatio obtenta fuerit: nam utroque modo finis regulae plene obtinetur, neque determinat lex licentiae tenorem esse de verbo ad verbum imprimendum. Insuper servandus a. 43: „ Nullus liber censurae ecclesiasticae subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ab causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit. „

Quodsi Ordinarius, peracto examine, censuerit librum non esse probandum ut jacet, esse tamen correctionis et expurgationis capacem, tenetur auctori denegatae licentiae librum publicandi rationes manifestare, prout 1 Sept. 1898 respondit S. C. Indicis.

Omissa debita imprimendi licentia, peccat quidem auctor vel editor, et etiam graviter, nisi de libello aliquo parvi momenti ageretur; sed opus ipsum legere non prohibentur fideles, nisi sit ex iis pro quibus expresse dicitur, ut in a. 20: defectu approbationis, induci prohibitionem. Cfr. n. 453.

460. III. Specialia praecepta viris ecclesiasticis imponuntur:

1^o „ Vicarii et Missionarii Apostolici decreta S. C. Prop. Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent. „ (a. 34) Nempe haec S. C.

decreto 6 Dec. 1655 (Coll. P. F. n. 1869) prohibuit ne ullus Missionarius Apostolicus, cujusvis praeeminentiae vel religionis, aliquod opus proprium vel alienum typis edat absque expressa ejusdem S. C. licentia: a qua lege exceptas tantum declaravit 28 Dec. 1770 (Coll. P. F. n. 1870) parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac preces quae fidelium usui cotidiano inserviunt. Lex ista ad illos tantum pertinet Missionarios qui a S. C. de Prop. Fide pendent et in locis missionum versantur. Solet etiam iis concedi sequens facultas: „ Edendi libros sermone patrio Vicariatus praedicti, ita tamen ut S. Congregationi eorum librorum quos typis edet, exemplaria transmittat. „

2^o „ Regulares, praeter episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato cui subjacent obtinere. Utraque autem concessio in principio aut in fine operis imprimatur. „ Vid. Trid. (Sess. 4. Decr. de edit. et usu librorum) loquitur de solis libris s. Scripturae vel eorum commentariis, sed jampridem Clemens VIII (Instr. de impressione librorum, § 2) necessitatem utriusque facultatis ad quoslibet libros edendos extendit. Licet enim ad decretum Tridentini appellet, defectus cujuslibet restrictionis in tenore hujus paragraphi et connexio cum § 1, in qua manifeste de omni libro edendo agitur, satis indicant Pontificem illum de quolibet libro agere voluisse. Nunc autem profecto Regulares utraque facultate indigent pro iis tantum libris ad quos edendos ceteris solius episcopi facultas necessaria est; in libris de argumento mere profano satis erit Regularibus sui Ordinis statuta servare, ut habet jampridem recepta consuetudo. Qui sint Regulares vid. Vol. II. n. 74

3^o „ Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant. Idem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant. „ (a. 42) In priore parte hujus articuli, quae mere directiva videtur, non commendatur formalis approbationis petitio, sed operis conscribendi vel conscripti notitia Ordinario data ad ipsius consilium exquirendum. In posteriore parte, stricte prohibetur ne, absque praevia Ordinariorum venia, clericus moderandum suscipiat folium quodlibet sive cotidianum, sive periodicum. Hanc prohibitionem censemus non protendi ad moderandos libellos periodicos (revues), qui hic proprio nomine non recensentur, sed complecti etiam illum clericum qui reapse diarium moderaretur, licet alius moderatoris (rédacteur) titulum gereret.